



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita P. Ignatii Loiolae, Qui religionem Clericorum
Societatis Iesu instituit**

Ribadeneyra, Pedro de

Coloniæ Agrippinæ, 1602

Varijs locis Collegia instituuntur. X.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45323

272 VITAE IGNATII

dinalis deligebatur, qui ad patrocinium eius operis suscipiendū, videretur aptissimus. Cōstituta deinde Sodalitate, sancitis legibus, totius gubernationis ordine, rationeque præscripta: cum iam suam operam minus esse necessariam intelligeret, vigiliam suam alijs tradebat Ignatius, seque sensim ad alia æquè utilia inchoanda conuertebat. Neque enim otiosa esse illius charitas poterat, sed semper nouū aliquid meditabatur, hominibus salutare.

VARIIS LOCIS COLLEGIA
instituuntur.

CAPVT. X.

DVM hæc Romæ Ignatius ageret, totus in Dei gloriam intetus, Deus eius gerebat curam, & res Societatis propagabat, mouebatq; hominum animos, nostrorum Patrum integritate, ac charitatis studio excitatos, ut eos aut expeterent benevolè, aut accessitos studiosè retinerent, & apud certis in sedibus collocarent. Et quamvis omnibus, qui petebant, satisficeret in tanta nostrorum paucitate non poterat: conabatur tamen Ignatius Dei gratiā non negligere, sed eos ipsos quos

quos habebat, in ea loca dispergere ac distribuere, in quibus vel propter ipsum locorum opportunitatem ac naturam, vel propter ciuium ingenium, & in nostris benevolentiam, ubiores fructus sperabantur. Cum igitur Hieronymus Domenecus, ciuis Valentinius, non solum se (quod multo antea fecerat) sed sua omnia etiam Societati consecrare, & Collegium ex suis redditibus valentiæ inchoare statuisset, Ignatius illius ciuitatis amplitudinem & nobilitatem, ac Gymnasij celebritatem secum reputans, & vicinorum oppidorum ac pagorum copiam, ad quos excursiones facere nosci possent, & apud illos utiliter aliquando versari, Jacobum Mironum (qui Lutetia Parisiorum, anno 1541. Conimbricam venerat, & eius Ciuitatis Collegio aliquid præfuerat) aliasque nonnullos anno 1544. Valentiam destinavit, ut Valentini Collegij poneret fundamenta. Quod illi quidem fideliter præstiterunt. Anno vero 1545. diploma te à summo Pontifice impetrato, certis redditibus constitutum est Collegium illud, quod & copioso optimorum iuuenum in Societatem ingredi catum prouentu, & ipsorum ciuium.

M. G.

fructu,

fructu, h. & tenus Dei benignitate sem, per floruit. Eodem tempore Petrus Fa-
ber, & Antonius Araoz, in comitatu
Mariæ, Ioannis III. Lusitaniae Regis fi-
liæ (quæ Philippo Hispaniarum Prin-
cipi nuperat) Regis iussu, ex Lusi-
tania in Castellam profecti sunt : &
Pinciaæ commorantes, eius Collegij
prima fundamenta iecerunt. Quod i-
nitio quidem tenue ac perangustum,
ita posteà amplificatum est, vt pro-
pter eius oppidi magnitudinem ac
frequentiam, & eos qui percipiuntur
fructus, ad Collegiū domus etiam Pro-
fessorū addita sit. Sed etiam in oppido
Gandiae, Valentiæ vicino, soli amœni-
tate præstanti, hoc ipso tempore Col-
legium nobis inchoatum est: quod ei
oppidi Dux, D. Franciscus Borgia, ex-
imia Societatis opinione ac benevolē-
tia incitatus, à fundamentis erexit, &
idoneo loco, & ad populi commodita-
tem, & domesticam nostrorum que-
tem ac relaxationem peropportuno,
perpetuis fructibus stabiluit, templa-
que exornauit. Missique sunt Roma ab
Ignatio anno 1545. ex nostris quinq;.
qui cū alijs in Hispania se coniunge-
rent, & primi Gandiensc Collegiū
habitarent.

D